



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Inter ecclesiasticas personas super decimis transactio facta, rata perpetuo debet persistere & inconuulsa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

eidem P. pro expensis, quas fecerat, quatuor marcas ar-
 genti ei persolueret, & idem P. liti cederet, & a monacho-
 rum penitus infestatione cessaret. Cumque compositio-
 nem ipsam ad nostram pertulissent audientiam, eamque
 confirmari auctoritate apostolica supplicarent, nos eam
 minime duximus admittendam, pro eo quod videbatur
 prauam speciem illicitæ pactionis continere. Monuimus
 autem prædictum P. vt ipse tam pro se, quam pro fratre
 suo, monachos in pace dimitteret, & eidem liti omnino
 renunciaret. Ille ergo * monitis acquieuit, & eidem liti pro
 se & pro fratre suo penitus abrenuntians, authentica in-
 strumenta, quæ super eadem ecclesia & capella habebat,
 in nostris manibus resignauit: & nos eum priori & mona-
 chis prædictis destinauimus, monentes atque mandantes,
 vt ex quo prædictus P. nostris super hoc monitis acquie-
 uit, ipsi quoque benignis nostris precibus intenderent, &
 eidem P. & fratri eius aliquod studerent beneficium pro-
 uidere, de quo maius lucrum valerent apostolica interces-
 sione percipere, quam eis deberet ex illa pactione illicita
 prouenire. Ceterum quia sæpediti prior & fratres, sicut
 accepimus, nec monitis nec mandatis nostris acquiescere
 volunt: nos eorumdem clericorum laboribus paterna pie-
 tate compatientes, vobis per auctoritatem præsentium
 præcipimus, quatenus priorem & monachos moneatis, vt
 præfato P. & fratri eius decens & competens beneficium
 conferant & assignent. Quod si forte facere noluerint, vos
 cum exinde fueritis requisiti, si vobis constiterit prædictos
 clericos, prout ipsi asseuerant, a prænominata ecclesia de
 B. & capella de L. iniuste & absque ordine iudiciario, &
 laicorum violentia eiectionis fuisse, ipsas eisdem restitui fa-
 ciatis: non obstantibus literis nostræ confirmationis, quas
 prædicti prior & monachi a nobis impetrasse noscuntur.

CAP. III. *Idem.*

Statuimus, vt si super decimis inter vos & aliquam per-
 sonam ecclesiasticam, assensu episcopi vel archiepiscopi
 sui, compositio facta fuerit, rata perpetuis temporibus &
 inconcussa persistat.